Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 913
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 23. p. 2. ſequitur *Tobias* Poema elegiacum autore *Matthaeo Vindocinenſi*, qui illud conterraneo ſuo *Bartholomaeo* II. Archiep. *Turonenſi* Sedem ab a. 1175. ad a. 1206. tenenti inſcripſit, unde de Scriptoris aetate conſtat, ruitque eorum opinio, qui Noſtrum cum *Matthaeo* S. *Dionyſii* Abb. pariter *Vindocinenſi*, verum anno demum 1286. teſte *Gallia Chriſt.* T. VII. *col.* 395. defuncto confudere. Poema porro iſtud pro aevo ſuo ſatis concinnum pluries typis prodiit; illud tamen mirum, *Joh. Heroldum*, qui illud e Codice *Zwifalt.* apud *Joh. Oporinum Baſil.* 1563. 4. impreſſit, tam parum de praeviis Editionibus *Lugdun.* 1505. 1538. et *Argent.* 1510. ſciviſſe, quam parum de *Heroldiana* ſcivit *Joh. Heringius*, qui illud ut ἀνέκδοτον, *Bremae* 1642. 8. prelo ſubmiſit. Et *Argentinenſis* quidem e prima *Lugdun.* expreſſa Didaſcali cujusdam *commento* inſtructa eſt, cujus tamen *Prooemium* ab eo diverſum eſt, quod *Codex* noſter hoc initio praefert: *More aliorum poetarum auctor iſte tria facit, proponit inuocat et narrat* &c. In hoc *Prooemio Matthaei Vindocinenſis* nomen bis memoratur. Poema ipſum tantum inſcribitur: *Incipit Liber De uita thobie.* Praefationis initium:

Ex agro veteri virtutum ſemina morum
Plantula iuſticie pullulat ampla ſeges. &c.

Dicationis:

Eccleſie turonenſis apex ouium ſpeculator
Et ſpeculum preſul bartholomee faue &c.

Diſt. 3. ubi legit *Argent.* Editio: *in quo conceſſit honeſto Forma pudicitiæ*, et Baſil. *in quo conſenſit honeſto* &c. rectius habere videtur Codex: *in quo conſentit honeſtae Forma pudicitiae.* In Diſt. ult. *Transfert Hieronymus, exponit Beda* &c. contra omnes ponendum cenſeo: *Hieronymus transfert, exponit Beda.* Satis enim adcuratus alias eſt quantitatum obſervator *Matthaeus.* Opus ipſum incipit:

Tobie natale ſolum galilea voluntas
Sacra timor domini religioſus amor &c.

Carmen volubilitate ſe commendat, nec luſuum expers, quales Poſteris in exemplum ceſſere, ut illud:

Odit, amat, reprobat, probat, execratur, adorat,
Crimina, iura, nefas, fas, ſimulachra, deum.